

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CLXXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

apud D. Mentonem nostrum, quò manere ei placeat. Omnia quæ nunc illi diffi-  
cilia & molesta videntur, facilia erunt & jucunda. Neq; enim necesse est, ut olim  
sit, quemadmodum nunc est, vel Horatio teste. Spēro fore, ut ad vos intra men-  
sem revertar. Essent multa scribenda, nisi perturbarent me negotia molestissima  
transmigrationis, ad quam etiam pecunia non abundat. Sed quia DEUS me voca-  
vit, faciet etiam, ut ei satisfaciam. Ubi venero, in sinu tuo requiescam. Bene in-  
terim vale & pro me ora diligenter, & D. M. Osium, Dominoꝝ Collegas omnes  
ex me reverenter saluta. Datum Lauingꝝ, 3. Octobris, inter maximas occupatio-  
nes. 1574.

T. T.

Jeremias Hombergerus.



## CLXXXIII.

*Salutem à Filio DEI, perpetuo Ecclesiæ custode, Reveren-*  
de Dn. D. Superintendens, amice & frater in Domino dilecte.

**M**ultis modis ostendit filius DEI, Iesus Christus, se præsentem esse suæ  
Ecclesiæ, & ejus fidelem curam agere. Documentum vero valde illu-  
stre est, detectio fraudum Calvinistarum, confusio persecutorum, præclarum  
testimonium datum veritati, & mutatio dexteræ excelsi in Electore Augusto.  
Hæc opera regnantis Christi cum aspicio, continere me non possum, quin pro-  
rumpam in lætam gratiarum actionem cum precatione, ut perficiat opus  
præclarum, quod incæpit dextera sua. Perquam gratum mihi est, quod hi-  
storiam conventus Torgensis tam accuratè ad me perscripseris, insignis bene-  
ficii loco id pono, & vicissim mea offero officia, siquæ à me proficiisci possunt.  
Facile autem colligo, molestè te ferre, quot tardius respondemus, causæ verd  
multæ sunt. Quia tempestivè cognovimus Electorem Saxoniæ huc missu-  
rum esse formulam concordiæ, responsum nostrum ad petitionem Ducis  
Brunsvicensis Julii distulimus. Ubi verd Electoris formulam accepi, statim  
eam descripsi curavi & legi, tradidi etiam pastoribus legendam, & D. Wigan-  
do. Nos toto pectore gratias agimus DEO, quod tam egregium & illustre  
testimonium datur veritati, pro qua haec tenus pugnavimus solum, hoc tan-  
tum quæsivimus, & etiam nunc quærimus, ut veritas incorrupta Evangelii  
sonet in Ecclesia, profligatis fanaticis sententiis, contumeliosis in filium DEI,  
& sincera Lutheri doctrina, thesaurus mundi postremi ad posteritatem sine  
fermento sectarum transferatur. Quod ergo ad capita controversiarum atti-

Rrr 3

net,

net, quæ in formula concordiæ explicantur in thesi & antithesi, consentimus. Nec Deo nos regente suo spiritu, ab hac sententia nos unquam se jungenemus. Quod si Theologi Wittebeagenses ita perpetuo docuissent, nunquam ab eis distinctionem fecisset, neque syllabam contra eos scripsisset. Quia vero sententiam rogarunt de formula conscripta, & inclitus Elector petiit, ut sine metu liberè dicamus, si quid desideremus, candidè & modestè monemus de quibusdam, non ut turbemus præclarum opus, neque ut lites moveamus, sed ut omnia, quæ in hoc præclaro libro ac veluti symbolo Ecclesiæ pias mentes offendere possunt, removeantur, & in posterum ansæ contentionum, quantum fieri potest, præscindantur. Existimamus Ecclesiæ necessitatem postulare, ut in hac formula authores & patroni corruptelarum, Illyricus, Philippus, Pfeffingerus, Osiander, Major, Calvinus, Petrus Martyr, epistola Philippi ad Palatinum, nominentur & Ecclesiæ ac posteritati saltem indicentur: ut juventus in librorum lectione errores cum formula concordiæ pugnantes caverre possit. Non est necesse ad generalem conventum hoc rejicere, quia libri sunt in omnium manibus, qui corruptelas continent. Et certamina in Ecclesia sunt non tantum de corruptelis, sed etiam de personis. Multi rejicunt Calvinismum, & tamen Philippum cum epistola ad Palatinum defendunt. Sed causas nostras in scripto nostro modestè annotavimus. Monemus etiam, ut quidam paragraphi, & quædam verba omittantur, ut de vitandis vocabulis accidentis & substantiæ, quæ secum pugnant. Nobilissimum Pauli dictum: Lex est paedagogia in Christum, Philippicæ in formula exponitur de disciplina externa, cum Lutherus illud de spirituali usu legis luculenter exponat, & testime. Quod operibus nostris conservetur fides, defendi non potest. In loco de Persona Christi, omitti velim vocabula scholastica, subjectivæ, formaliter, habitualiter. Quotusquisque enim pastorum intelligit obscura illa vocabula? Et metuo, ne novas pariant contentiones. Et res commode exponi potest sine istarum vocum adminiculo. Beza talibus tendiculis insidiatur simplicioribus, & insidiosè ad istas fortes nos pertrahere vel invitare conatur. Censeo igitur, omittenda esse ista vocabula. Hæc vero summa est nostrarum admonitionum, cum petitione, ut decretum de abrogato corpore doctrinæ Austriaco, & si norma doctrinæ & rejectis spuris illis libris, Acta synodica, & quæ ejus farinæ sunt, intelligo, publicetur, & toti Ecclesiæ promulgetur. Spero te brevi commonefactiones nostras visurum. D. Wigandi & pastorum consensum expecto. Certo statuas, nos magnificere formulam concordiæ, & læto animo agnoscere Dei beneficium, qui nostris certaminibus præclarum dicit testimonium. Ardentि pectorē precamur Deum, ut suo spiritu hunc sanctum conatum constituendi concordiam in Ecclesia provehat, confirmet, & ad optatum finem felici successu perducat. Atque hujusmodi

modi præcēs pro Electore Saxonī & sancto hac conatu publicē sunt in nostris ecclesiis. Ostendemus, DEO nos juvante, nos nec quæsivisse aliud, neque etiamnum aliud quærere, quam ut incorrupta doctrina Lutheri sine omni fermento transmittatur ad posteritatem. Omnium injuriarum & exiliorum per DEI gratiam piè obliviscemur. Jacobus Andreæ, Selneccerus, Crellius, si serid paenitentiam agant, fratres nobis erunt charissimi. Quod si etiam Philippi, Pfeffingeri, Majoris nomina sine detrimento Ecclesiae silentio præteriri possent, simpliciter adsentimur. Nos nec voluptatem nec emolumentum inde spernamus, si nominatum ponatur Philippi sententia de libero arbitrio &c, coena Domini, adversari verbo DEI; quia verò videmus, subesse gravissimas, & necessarias causas, & exempla habemus Apostolorum Christi, veteris ecclesiæ, humiliter perimus & rogamus, ut consulatur iuventui, nondum confirmato iudicio legenti libros Philippi & toti posteritati. Et haec tenus de communi causa Ecclesiæ.


## Inscriptio:

Judicium D. Heshusii, de formula concordia ad Chemnitium.

## CLXXIV.

**H**istoriam Theologorum Wittebergensium, qui ad Calvinismum defecerunt, hic accepimus, & DEI admirandum judicium prædicamus. Haec tenus nostris admonitionibus nemo voluit adhibere fidem: Eorum fraudem dūdum vidi mus: Nunc DEUS de Cœlo concionatus est. Quælo ut tuorum rerum statum ad nos prescribas. Bene & feliciter in Domino vale. Regiomonte Borussiae, die Michaëlis, 1574.

Tilemannus Heshusius, episcopus  
Sambiensis, amicus tuus vetus & candidus.



Antwort/ so den 4. Personen verhaftten zu Leipzig auf ihre  
Supplicationes geben.

Erslich wussten sie sich zu erinnern/ und waren von den verordneten Politischen Käthen und Theologen zu aller nothwürft bericht/ was mich zu dieser ihrer Erforderung gen Torgau verursacht/ und bewogen. Neinlich/ das aus erslichen/ auch verhaftten/ Personen schrifftlich befunden/ was massen sie eine fremde und neue Religion

götz